



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitvlvm XLVI. Constitutis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

gerendam destinasse, tenebitur de eorum delictis; secus autem dicendum, si officialis pro viro bono ac perito non immerito habebatur, sed præter opinionem fefellit, ut videtur est apud *Felinum*, in *cit. c. Petrus. n. 2. & seq.* & exemplum attuli de officiali seu vicario Episcopi, in quaestionibus de iurisdictione q. 106.

Quarto si quis aliquem præposuit administrationi, obligatur ex gestis eius circa eandem negotiationem, aut officium, dummodo fines mandati, seu commissionis suæ non excedat, ut docui in primâ responsione & *cit. cap. 27.*

CAPITVLVM XLVI.

Constitutis.

PARAPHRASIS.

Quæstio erat super matrimonio contracto inter principem Bohemiæ & Marchionis Misniæ sororem, hæc perente Principe coram Episcopo Pragensi comparere volebat, ut suas actiones ipsamet proponeret, sed à satellitibus Episcopi bis, vel ter accessu prohibita fuit, & nihilominus licet ipsa ad Sedem Apostolicam appellaret, Episcopus in causâ procedens, diuortii sententiam promulgauit; à qua ipsa iterum appellauit. His ita per procuratorem dictæ principissæ & nuntium dicti principis Bohemiæ Innocentio III. narratis, ipse causam hanc delegat Archiepiscopo Magdeburgensi & Præposito Seburchensi mandans, ut partibus ad locum idoneum conuocatis recipiat testes, quos vel principissa pro se, vel princeps pro se super processu Episcopi Pragensis, posteriorum uè iudicum, producere voluerint, quandoquidem testificata nondum didicerant, & cum dicta principissa productioni nondum renuntiârit, ideò non prohibeatur testes vel eosdem, quos prius produxerat, vel alios, si voluerit, introducere.

S V M M A R I V M.

1. *Publicatis & cognitis testificationibus in causa Matrimoniali, testes denuo produci nequeunt.*
2. *Renuntiatio productionis testium, etiam cognitis testificationibus impedit ulteriorem per testes probationem.*

NOTA I. Licet in causâ matrimoniali publicatio testificationum non obstat, quo minus testes denuo produci queant circa quaestionem principalem, cum in ea agatur de animæ periculo & honore Sacramenti, ut dictum est in *c. Fraternitatis. 17. hoc. tit.* obstat tamen promulgatio, ac notitia testificationum v. g. utrum priores iudices in ipsâ matrimoniali causâ rectè processerint; nam tunc non vertitur animæ periculum; cum etiam post latam sententiam testes produci queant super causâ principali. *c. Lator. 7. de sent. & re iudicata.* & aduertit *gl. hic. verb. didicerint. Imola, Abbas, Felinus & alii.*

NOTA II. Duæ diuersæ causæ sunt quæ prohibent testes de nouo produci, si vel testificationes promulgatæ cognitæ sint, vel si partes productioni testium renuntiârunt, ideòque in causâ conclusum sit, iuxta ea, quæ dixi in *cit. c. Fraternit.* & docent *Imola Abbas, Felinus in fine huius capituli.* quod renuntiatio vim conclusionis in causâ habeat, & ideò etiam non cognitis testificationibus ulteriolem per testes probationem impediat.

CAPITVLVM XLVII.

Licet.

PARAPHRASIS.

Olim consanguinitas & affinitas vsque ad gradum 7^o matrimonio impedimentum præstabat, quamobrem cum propter breuem hominis vitam testes de visu haberi non possent, necessarium erat in causis huiusmodi matrimonialibus etiam testes de auditu admitti, ut videtur est in *c. de parentelâ. 5. causâ. 35. q. 6.* sed